



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 3. De peccatis Consiliariorum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

publico consilio Regem aut Rempublicam  
 juvandi, principium habet à juramento  
 quod hos comites requirit. In iudicio au-  
 tem consulere dicuntur: qui non perfun-  
 ctorie, præcipitanter aut impudenter con-  
 sulunt. In iustitia vero qui suis consiliis  
 nemini nocent aut nocere intendunt. De-  
 nique in veritate: qui ita ut in corde sen-  
 tiunt, & rem se habere vel media ad finem  
 concludere credunt, sua Consilia e-  
 nuntiant.

## Articulus Tertius.

### *De Peccatis Consiliariorum.*

1. **I**N statu peccati mortalis vivunt qui  
 de sua insufficientia conscii, permit-  
 tunt se ad officium consilarii assumi, gra-  
 vius qui ambiunt & viis indirectis se pro-  
 moveri curant: gravissime autem qui offi-  
 cia illa sibi emunt, nisi forte essent officia  
 mere titularia, quia periculis multorum  
 peccatorum se exponunt & in illis pericu-  
 lis vivunt.

2. In statu peccati mortalis vivunt, qui post  
 acquisitum officium, de sua incapacitate  
 conscii,



conscii, non curant studio, exercitationibus, cum viris doctis consuetudine se capaces reddere, ut aliquo saltem modo legitime officio satisfacere possint.

3. Peccant, & ad restitutionem tenentur damnorum sequentium, qui ob debitæ scientiæ defectum mala consilia præstant, unde peccata vel gravia damna oriuntur.

4. Peccant qui scienter odio, pravo affectu, vel proprii aut alieni commodi gratia, prava consilia dant, imo in suam sententiam quam sciunt falsam, alios condescendere quovis modo procurant, & si tertio damnum aliquod inde sequatur tenentur ad restitutionem.

5. Peccant mortaliter qui proditorie vel quovis modo Consiliorum secreta aliis pandunt, & de damno tenentur.

6. Eadem ratione peccant qui sub prætextu boni vel libertatis Regiæ, bonum publicum populi, vel Reipublicæ evertunt, sub ipsis frequenter Thesaurizantes. Quia qui populi & Reipublicæ bonum evertit, Regis bono advertarium se ostendit, & si-

P

ve igno-



ve ignorantia five malitia id faciat, totius damni causa existit.

7. Peccant mortaliter qui in re gravis momenti vel tacent, vel respectu aliquo humano fluctuant, vel adulatione & placendi pruritu dicunt bonum malum & malum bonum: aut ita adulterant sermones suos ut æquivoce potius sua consilia proponant quam resolutorie, ne displiceant, qui similiter de damno tenentur.

8. Peccant qui in re gravis momenti perfunctorie & præcipitanter sua consilia præstant, non attendentes aut rei importantiam, aut mediorem infirmitatem, unde potius rem eventui futuro, immo & periculo exponunt, quam vere suis consiliis juvent.

## TITVLVS TERTIVS.

### *De Nobilibus.*

#### Articulus Primus.

##### *De vera Nobilitate.*

1. **N**obilitas à Doctoribus in quatuor species dividitur, 1. Nobilitas superna-